



Prot. N. 305/22/I

B E A T I S S I M E P A T E R,

Aloisius Mansi, Episcopus Andriensis, reverenter exponit paroecialem Sancti Pauli Apostoli communitatem de Andria, vicesimum quintum celebraturam esse anniversarium ex quo consecrata est paroecialis ecclesia.

Ad hunc faustum eventum digne commemorandum, peculiares peragentur sacrae functiones et alia spiritalia incepta, ita ut christifideles, qui illuc accursuri quamplurimi praevidentur, sacramentis Paenitentiae atque SS.mae Eucharistiae proprias reficiant animas et sinceram accrescant devotionem erga caelestem Patronum.

Itaque Exc.mus Orator, una cum Parocho praefatae communitatis, donum Indulgentiae pro peregrinis piisque visitantibus, a Sanctitate Tua fiducialiter implorat. Et Deus, etc.

Die XX Iunii MMXXII

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Sanctissimi Patris Francisci, plenariam libenter concedit Indulgentiam, suetis condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) rite adimpletis, a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsiis a die XXVIII Iunii MMXXII usque ad diem XXIX Iunii MMXXIII lucrardam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si paroecialem Sancti Pauli Apostoli ecclesiam in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilaribus ritibus devote interfuerint vel saltem per congruum temporis spatium pii considerationibus vacaverint, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis et Sancti Pauli Apostoli.

Paroeciae fideles senectute, morbo vel gravi alia causa impediti, pariter plenariam consequi valebunt Indulgentiam si, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, anniversariis functionibus se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis, vel incommodis propriae vitae, misericordi Deo per Mariam SS.mam oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Parochus et sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, in iubilari templo, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebant ac S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per argenteum paroeciale iubilaeum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Maurus Carol. Diacema  
Paenitentiarus maior

Christophorus Nybel  
Repusus